

tem incerta. Nemini certe, quamdiu in hac vita degit, spes salutis deneganda est; in via enim adhuc, non in termino viæ sumus: sed hanc tamen novissimam poenitentiam, in iis præcipue, qui obstinatis animis tota vita in sceleribus perdurarunt, periculosissimam esse, omnes sancti patres definiunt. In cuius rei fidem Adrianus pontifex in iv. Sentent. ubi eam quæstionem tractat: *sit ne aliqua certa periodus peccatis hominum constituta; horribilem in hac re D. Hieronymi sententiam, si ea tamen D. Hieronymi est, citat; sic enim ait: vix e centum mille hominum, quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus.* Hanc sententiam insignis ille doctor & pontifex allegat: de cuius veritate disputare ad me non spectat, quam fortasse exaggerandi causa prolata existimo: ea tamen non minimam timoris causam nobis exhibet.

Quæ quum ita sint, fratres, quid aliud superest, nisi ut cælestis magistri consilium amplectamur, qui maximam nostri curam gerens, utpote quos pretioso suo sanguine redemit, opportune nos his novissimis verbis admonet: *vigilate ergo, quia*

nescitis diem neque horam. Cuius rei quum multi sint fructus, non postremus ille est, quod mortem non trepidi & anxii, sed læti atque gaudentes excipiemus: intelligentes, piorum hominum mortem, non tam mortem esse, quam natalem diem, quam finem laborum, & coronarum initium. Constat enim, piorum mortem aditum esse ad immortalitatem, vitæ ostium, scalam cæli, pontem, quo ad regnum transeunt, triumphalem diem, immo & natalem: in quo terræ corpus commissum seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Ideoque iusti in morte non mæreere, sed respicere & levare capita jubentur. Hanc igitur tantam lætitiâ, eo præsertim tempore, quo alii magno metu quatiuntur, quid aliud, quam firma futuræ salutis spes, ex divina miseratione, & bona conscientia proveniens, parere potest? Quemadmodum enim qui ex humili casa palatium ingens extruere volunt, libenter quidem vetera diruunt, quod ea melius instauran-

randa sperant: ita viri iusti libenter patiuntur, hujus habitationis domum dissolvi; quod eam in resurrectione perfectissime reformandam esse fide credunt, & spe quodam modo attingunt, cum Apostolo dicentes: (a) *scimus enim, quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in cælis.* Hæc autem domus, fratres, iis parata est, qui splen-

didæ fidei lampadi bonorum operum oleum adjungere student: hoc est, qui pietate, justitia, patientia, vera cordis humilitate, fraterna caritate, obedientia, corporis & animi castimonia, ac præcipue misericordiæ operibus illam sibi, dum hic viverent, compararunt: quibus in fine Dominus dicturus est: (b) *venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.*



IN FESTO
SANCTARUM VIRGINUM
CONCIO SECUNDA,
IN QUÆ LECTIO EVANGELICA
explanatur.

THE. Simile est regnum calorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Matth. XIII. 45. 46.

*** Ristoteles initio naturalis philosophiæ, ne sibi sit in eo opere philosophandum. *Innata est, inquit, de qua scribere instituebat, primo loco via nobis, ut a notioribus ad minus nota procedamus.* Notiora vero ea esse ait, quæ sensu per-

(a) 2. Corinth. 5. 1. (b) Matth. 25. 34.

cipiuntur, quam quæ solo intellectu. Quo fit, ut manifestiora sint nobis quæ videntur, quam quæ non videntur; & quæ corpore constant, quam quæ spiritu solum. Illa enim viciniore nobis sunt; hæc vero procul posita, & ideo a cognitione nostra remotiora. Adde his etiam, quod omnis nostra cognitio sic ortum habet a sensu, ut nihil sit in intellectu, quin id prius fuerit in sensu. Quo fit, ut sensibilia quidem per se cognoscamus: intelligibilia vero non per se, sed veluti per manus aliorum. Et hæc quidem inter homines & angelos non minima differentia est: quod hi, quum simplicis & spiritalis naturæ sint, simpliciter & immediate spiritalia, quæ illis similia & cognata sunt, intelligunt: nos vero non ita, nisi corporearum rerum utamur ministerio.

Hoc animadvertens humanæ salutis amator Dominus, qui de se ipso ait, (a) *ego Dominus Deus tuus docens te utilia*, quum homines erudiendos susciperet, ea potissimum ratione docendos curavit, quæ ipsis essent maxime consentanea. Sic enim divina sapientia tamquam provida & pia mater infantia no-

(a) *Isai. 48. 17.*

stræ se accommodat; non quidem suo, sed nostro nobiscum more agens. Unde non solum in veteri testamento, crasso illi ac rudi populo per corporearum rerum species loquebatur; sed in novo etiam per parabolas ad populum sæpe concionatus est: in quibus per notas nobis rerum corporearum naturas, regni cælestis detegit sacramenta. In sacra autem hujus diei lectione quattuor nobis utilissimas parabolas proponit; videlicet, thesauri absconditi in agro; margaritæ pretiosæ; sagenæ missæ in mare; & divitis patrisfamilias convivium instruentis: de quibus nobis hodie, adspirante divina gratia, differendum est. Ut autem mysteria, quæ in his parabolis recondita sunt, pie & utiliter enodare, & in lucem proferre valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Scitis jam, fratres, regni cælorum nomine non modo regnum ipsum, sed omnia etiam quæ ad hoc regnum aliqua ratione spectant, significari. Hoc autem in loco; in quo regnum

cæ-

cælorum thesauro abscondito comparatur; hujus thesauri nomine quidam virginitatis virtutem intelligunt, quæ in humano corpore velut in agro quodam abscondita est; ideoque hæc sacra lectio in festo sanctarum virginum ab ecclesia recitari solet. Quantus autem hic thesaurus sit, declarat sane corona illa aureola, quæ virginibus in cælo reposita est: & cælestis item vita eorum, qui vere virgines sunt; utpote quæ ab innumeris curis & sollicitudinibus libera est, quibus conjugatorum vita est referta. Hoc ipso autem thesauri nomine virtutem hanc D. Bernardus appellavit: qui quum adolescens noctu ab improba quadam femina impetitus esset, & ipse magna voce clamasset, *latrones, latrones*; & hoc ipsum semel atque iterum contigisset, excitatique famuli domum collustrantes nihil invenissent, eumque frustra clamasse dicerent; sanctus adolescens respondit: *vere latro adfuit, qui irreparabilem castitatis thesaurum furari volebat.* Eadem quoque virtus simili ratione non modo thesauro, sed etiam pretiosissimæ margaritæ comparatur. Quæ enim marga-

Tom.III.

rita pretiosior, quam pura mens in corpore puro? Pro hac igitur margarita comparanda sanctæ virgines omnia vendiderunt; quæ vere dicere poterunt: regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contempsit propter amorem Domini mei Jesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.

Quia vero natura sic comparatum est, ut quæ sunt valde pretiosa, sint etiam ad servandum difficilia; idem etiam in hac virtute locum habet. Hæc enim virtus supra humanæ naturæ conditionem hominem attollens, angelis similem facit, dum eorum puritatem imitatur; nisi quod mirabilior est hominum, quam angelorum, puritas: quod enim in angelis facit natura, in hominibus facit gratia; & angeli quidem sine corpore vivunt, virgines autem in carne triumphant.

Quum sint autem multæ virtutes, quibus hæc virtus sepienda atque munienda est; est enim caro jejuniis, & vigiliis, & asperitate vitæ maceranda; est oratio, qua divinum auxilium imploratur, frequentanda; est diligens custodia exter-

Z

nis

nis & internis sensibus adhibenda: tamen inter hæc ipsa omnis peccandi occasio, omnia lapsus pericula, omnia seu virorum, seu feminarum suspecta contubernia, summa cura & studio vitanda sunt. Huic autem cautioni retinendæ, ut cetera prætermittamus, satis nobis esse debet vel unius Salomonis exemplum; qui, quoniam hæc pericula neglexit, in tantum nefas prolapsus est, ut idolorum aras & templa alienigenis uxoribus suis (a) erexerit atque dicaverit. Qua ex re liquido apparet, virum justum pari propemodum studio peccandi occasiones, atque ipsa eadem peccata, vitare debere, quas videmus tantum sapientissimo regi periculum peperisse. Caverat autem lata lege Dominus, (b) ne filii Israël alienigenas uxores ducerent; certissimum fore asserens, earum contubernio atque blanditiis ipsorum animos emolliendos, & ad Deorum alienorum cultum evocandos.

Hanc autem cautionem Salomon, nimium fortasse sapientiæ & religioni suæ fidens, neglexit: atque ita demum in tantum præcipitium miserabiliter

corruit. Quocirca recte sapiens: (c) *qui, inquit, timet Deum, nihil negligit*: quia videlicet, imbecillitatis suæ consciscus, sibi prorsus diffidit; ideoque nulli se periculo exponere audet. Atque utinam idem Salomon consilii sui memor fuisset, quum dixit: (d) *sapiens timet, & declinat a malo; stultus transilit, & confidit*. Itaque vir sapientissimus, immodico feminarum amore excæcatus, non sapientis timorem & prudentiam, sed stulti confidentiam sectatus, in tantam foveam præcipitatus est. Quisquis igitur hunc adeo formidabilem casum attente consideraverit, non poterit altissimam in eo divinorum iudiciorum abyssum non admirari, &, ne quid sibi simile accidat, non vereri; quum nemo securitatem sibi in hac vita, quæ tota tentatio esse dicitur, polliceri debeat. Idemque quum dominicam orationem proferet, flagrantiori affectu extremam illam petitionem pronuntiabit: (e) *& ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo*.

Quocirca prudenter & caute admodum D. Hieronymus amicam Nepotianum, & nos omnes

(a) 3. Reg. 11. 7. (b) Exod. 34. 16. (c) Eccles. 7. 19. (d) Prov. 14. 16. (e) Matib. 6. 13.

omnes in illo admonet his verbis: „ omnes puellas & virgines Christi aut æqualiter ignore, aut æqualiter diligere: nec in præterita castitate confidas. Nec enim sanctior Davide, neque Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua ejecit mulier. „ Eandem nos habere cautionem D. Augustinus his memorabilibus verbis admonet: „ gravem inimicum sortita est castitas, cui non solum resistendum, sed dimisso freno longius fugiendum. Nec eo minus illæ fugiendæ sunt, quæ religio-sæ videntur: quia quanto religiosiores, tanto citius alligantur; & sub prætextu pietatis latet viscus libidinis. „ Experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior. Cedros Libani, duces gregum sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambrosii, vel Hieronymi impudica turpitudine. „ Hactenus Augustinus. Quisquis igitur his talium virorum exemplis atque ruinis non commovetur, non metu concuritur, non de casu & rui-

na sua sollicitus est; aut superbiæ & præsumptionis spiritu vexatur, aut certe de mente deductus est. Hæc paucis de castitatis custodia dicta sint. Quæ omnia N. sanctissima hæc virgo prudenter attendens, illibatam virginæ castitatis florem perpetuo conservavit; & in carne non carnis vitam agens, cum angelis hodie, quorum amavit puritatem, in cælis coronata triumphat.

Ceterum plerique hujus evangelicæ lectionis interpretes, thesauri absconditi, & pretiosæ margaritæ nomine, perfectam caritatem, & clarissimum sapientiæ donum, ad quod cetera Spiritus sancti dona ordinantur, commodissime intelligunt. Quisquis enim hoc cæleste donum percepit, facile omnia, quæcumque in mundo magna & pretiosa habentur, ut eo plenius fruatur, distrahit, & præ illius amore contemnit.

Ne quis vero erret, sciat, tenui admodum limite a se caritatem, & hoc sapientiæ donum distare: unde neque caritas sine sapientia, neque sapientia sine caritate esse potest. Verum sapientia actionem nominat intellectus, in quo i-

Z 2

psa

(a) August. de cohabitatione clericorum & mulierum.

psa velut in subjecto est; quam caritas perficit & informat: caritas vero voluntatis opus est, in qua ipsa sibi sedem constituit; quæ tamen caritas sine Dei cognitione atque sapientia non est.

Verum hoc in loco gravis insurgit quæstio, eademque dignissima, quæ a nobis hodie tractetur. Apparet enim, has Domini parabolas, quarum altera de abscondito thesauro, altera de pretiosa margarita est, nomine tenus differre. Uterque enim homo, sive is qui thesaurum, sive qui margaritam invenit, simili cupiditate inductus, omnia sua distraxit, ut thesaurum illum vel margaritam sibi compararet. Nullum igitur in his discrimen esse videtur; nisi quod in priori parabola thesauri, in posteriori, margaritæ nomen ponitur. Sed magnum in utraque similitudine discrimen est, magnumque divinæ bonitatis argumentum, & magnum item infirmitatis & spei nostræ solatium. Et quidem thesauri & margaritæ nomine, eandem caritatis perfectionem, idemque sapientiæ donum intelligo: sed discrimen tamen utriusque parabolæ inter illa duo, inveniendi, & quæren-

di, esse puto. In priori enim parabola is, qui, dum agrum foderet, thesaurum invenit, nihil tum de thesauro inveniendo cogitabat, sed casu illum invenit: at mercator, qui in posteriori parabola margaritam invenit, non utique casu illam, sed magna diligentia quæsitam invenit. Qua quidem distinctione duas Dominus parandæ divinæ gratiæ vias explicare voluit. Alii enim gratiam, quam non quærunt, gratuita Domini misericordia inveniunt; alii vero magna cura & studio quæsitam, eodem Domino adspirante, inveniunt. Itaque alii gratiam quærunt, alios vero ipsa quodam modo gratia prævenit & quærît: vel, ut rectius dicam, alios quærît ipse Dominus, alii Dominum quærunt; illi quidem feliciores, isti diligentiores; utriusque tamen Domino debitores. In illis quidem commendatur gratia, in istis studium ac diligentia; sed in utrisque divina misericordia.

Duæ nobis peccatrices feminæ commodissimum hujus differentiæ exemplum præbent, Samaritana, & Chananæa. Samaritana enim, quum ad puteum venit, ut hauriret aquam, nihil minus quam de in-

inventa gratia cogitabat. Hæc igitur Dominum non quærebat, sed a Domino quæsitæ est, & gratiæ ejus beneficio præventa. At Chananæa quo ardore & contentione misericordiam Domini petebat? quæ toties ab eo repulsa, numquam a flagitando destitit, donec ab ipso audire meruit: (a) *o mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* In illa igitur evidentius elucet gratia, in hac vero studium ac diligentia; sed in utraque tamen magna Domini misericordia. Magna enim misericordia fuit, non quærentem quærere: & magna item, mulieris mentem ad studiosè quærendum excitare. Si enim fides, ut Apostolus ait, (b) Dei donum est; magna ergo fides erit utique magnum donum Dei. Idem ergo Dominus, qui se obtulit Chananææ quæsitus, eandem quoque magna illa fide concessa impulit ad quærendum. Si alia prioris gratiæ exempla quæris, Paulum cogita, quum in paradysum raptus est, & Matthæum publicanum, & Petrum atque Andream mittentes rete in mare, & Jacobum atque Joannem retia sua rescipientes, quum

Tom. III.

Z 3

non

(a) *Matth. 15. 28.* (b) *Ephes. 2. 8.* (c) *Joan. 15. 16.* (d) *Exod. 33. 19.* (e) *Rom. 9. 16.*

a Domino ad apostolatus dignitatem vocati sunt. Isti igitur, aliique similes, quibus Dominus ait: (c) *non vos me elegistis, sed ego elegi vos;* aliud plane agebant, quum thesaurum, quem non quærebant, invenerunt.

Dixi autem paullo ante, magnum hoc esse infirmitatis & spei nostræ firmamentum atque solatium. Quum enim salus & felicitas nostra ex ejus præcipue voluntate pendeat, qui ait: (d) *misereror cui volueris, & clemens ero in quem mihi placuerit; &: (e) non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei:* angi, atque animum deponere infirmus homo potuisset, ac dicere: quis scit, an ego ex eorum numero sim, quibus hæc felicissima fors contingere debeat, quos videlicet gratuita beneficentia sua Dominus prævenire velit? Ne igitur hac cogitatione homo frangatur, sciat, duplicem nobis aditum ad divinam gratiam consequendam patere, in quorum altero gratia, in altero vero gratia simul cum humana commendatur industria. Quod si tu ex eorum numero non sis, quos sine labore gratia quærît

non quærentes; altera tibi salutis via patet, ut videlicet studiose quæras, & invenias. Quod si hoc diligenter effeceris, magnam ex hoc conjecturam habes, quod aliqua jam ex parte inveneris. Neque enim studiose quæres, nisi jam rei, quam quæris, odorem aliquem percepisses; & nisi te idem ipse, quem quæris, ad quærendum incitasset.

Hac igitur duplici ratione Dominus inestimabiles gratiæ suæ opes mortalibus distribuit, quando alios gratuita beneficentia prævenit, seque illis gratuito offert; alios ipse excitat ad quærendum, seque illis duplici beneficio offert quæsitus. Hanc porro Dei nostri magnificentiam commendant duæ ejus insignes laudes atque virtutes; misericordia scilicet, & veritas, quæ toties in hymnis Davidicis repetuntur; quas idem vates ait faciem Domini præcedere: (a) *miseri- cordia*, inquit, & *veritas præcedent faciem tuam*. Quo loquendi genere significare voluit, has duas virtutes esse quasi vexilliferos & antesignanos, qui sempiterni regis faciem præcedunt, qui illum ubique comitantur, neque ab eo

umquam divelluntur. Unde alibi idem vates sanctus: (b) *uni- versa*, inquit, *via Domini, misericordia*, & *veritas*. Et quidem veritate Dominus implet fideliter promissa: misericordia autem præbet benigne gratuita. Veritate solvit debita: misericordia donat etiam non debita. Veritatis suæ justitia nemini facit injuriam: misericordia autem multis non debitam impendit gratiam. Veritate exsequitur justitiam: misericordia donat gratiam. Veritas ad æquissimum judicem: misericordia ad benignissimum patrem magis spectat. Nihil est igitur, quod amplius in Deo nostro desiderare infirmitas atque inopia nostra debeat, quando is hæc duo nobis ostia ad gratiæ suæ opes comparandas aperuit. Si justus es, habes justissimum operum tuorum præmiatorem: porro si peccator, si pauper & inops es, habes misericordiarum parentem, ad cujus opem confugere possis; si tamen ex ea non peccandi ansam, sed impetrandi fiduciam sumas.

§. I.

Sed jam, quid uterque fecerit, sive is qui thesaurum invenit, sive qui margaritam, stu-

(a) *Psalm. 88. 15.* (b) *Psalm. 24. 10.*

studiose inquiramus. Uterque igitur vendidit omnia sua, ut margaritam & agrum illum compararet. Hic enim *præ gaudio illius abiit*, & *vendidit omnia quæ habuit*, & *emit agrum illum*: felicior se thesauro illo, quam omnium rerum suarum possessione futurum ratus. Ut autem hujus thesauri dignitatem & opulentiam intelligatis, paullo altius hujus dignitatis causæ a nobis repetendæ sunt.

Est igitur sciendum, quod quemadmodum fides, quæ divinarum rerum cognitionem tradit, bonorum omnium initium & fundamentum est; ita contra divinarum rerum ignorantia, malorum omnium radix est. Inter omnes autem hujusmodi ignorantias, periculosissima ea est, quæ divinarum rerum amplitudinem, dignitatem, suavitatem & pretium ignorat. Quum enim omnia, quæ Dei sunt, divinitatis ejus naturam suo quæque modo referant; divina autem amplitudo & opulentia immensa & infinita sit: consequens est, ut quæ divina sunt, immensam quamdam dignitatem & amplitudinem præ se ferant. Hinc

Isaias: (a) *oculus*, inquit, *non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te*. Quæ verba non ad bona gloriæ modo, sed ad dona etiam gratiæ referenda esse, Apostolus (b) docuit. Per dona autem gratiæ, omnia Spiritus sancti carismata, & fructus Spiritus, quos idem Apostolus (c) enumerat, ac præcipue caritatem, sapientiam, gaudium in Spiritu sancto, & pacem illam, quæ (d) exsuperat omnem sensum, intelligimus. Quæ dona talia ac tanta sunt, ut quisquis ea plenius degustaverit, facile omnia, quæ in mundo magnificentissima existimantur, præ illarum amore contemnat. Quam rem aperte sponsa de caritatis excellentia testatur, quum ait: (e) *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*. De sapientiæ vero dono Salomon ait: (f) *melior est sapientia cunctis pretiosissimis, & omnia, quæ desiderantur, ei non valent comparari*. Caritas vero & sapientiæ donum, gaudium spiritus pariunt. Sapientia enim saporrem quemdam & spiritualem suavitatem secum affert; unde & sapientiæ donum deductum est.

Z 4

(a) *Isai. 64. 4.* (b) *1. Corint. 2. 9.* (c) *Gal. 5. 22.* (d) *Philipp. 4. 7.* (e) *Cant. 8. 7.* (f) *Prov. 8. 11.*